



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 2. Sacramenta fuerunt-ne homini necessaria in statu innocentiae?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

8 TRACTATUS I.

rebus : ibi autem debet medicinale remedium homini adhiberi, ubi patitur morbum. Et ideo conveniens fuit, ut Deus per quedam corporalia signa homini spiritalem medicinam adhiberet : nam si spiritualia nuda ei proponerentur, eis animus applicari non posset corporalibus deditus. Tertia autem ratio sumenda est ex studio actionis humana, qua precipue circa corporalia versatur. Ne ergo esset homini durum si totaliter à corporalibus actibus abstraheretur, proposita sunt ei corporalia exercitia in Sacramentis, quibus salubriter exerceatur ad evitanda superstitiosa exercitia. Sic igitur per Sacramentorum institutionem homo convenienter sua natura eruditur per sensibilia ; humiliatur, se corporalibus subiectum cognoscens, dum sibi per corporalia subvenitur ; preservatur etiam à noxiis actionibus per salubria exercitia Sacramentorum. Idem habet Divus Bonavent. Centiloquii 3. p. sect. 47. de Sacrament. in generali.

Quoniam eramus cæci quoad rationalem, ideo data sunt Sacramenta sensibilia ad eruditionem. Quoniam eramus elati quoad irascibilem, ideo data sunt Sacramenta corporalia ad humiliationem. Quoniam eramus proni ad malum quoad concupescibilem, ideo data sunt Sacramenta plura ad exercitationem.

Quæst. 2. Sacramenta fuerunt-ne homini necessaria in statu innocentia ?

Matth. 9.

Resp. Nequaquam, cum Non sit opus valentibus Medicus, sed malè habentibus, ut ait Christus Dominus ; Sacramenta autem instituta sunt tanquam remedia contra peccata, proindeque non fuerunt necessaria in statu innocentia.

Quæst. 3. Nonne Sacramentum matrimonii institutum est in statu innocentia, ut dicitur